



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 6. Crucifixus est philosophia nostra, liber &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

Deus semper habet manum apertam; imò etiam perforatam: quia ex utraque parte manus diffundit Bonitatem suam super omnes creaturas. Sancti Bernardinus t. 3. serm. in dieb. Rogat.

Pendebat in cruce moriturus; disposuit testamentum Electis suis: Patri Spiritum, Ecclesie corpus, peccatoribus sanguinem; latroni regnum, militibus vestes; Petro Ecclesiam; Apostolis Paracletum; Electis charismata distribuit. S. Thom. Vill. Conc. de S. Jo. Evang.

Cuncta extra Jesum Crucifixum generant fastidium; & habent defectum; & quasi abynthium, & fel amarissimum; torquent animam variis desiderijs occupant. Thom. Kemp. p. 2. ad Novit. f. 4.

An. 1641. Drepani femina pauperrima filio in templo importunè panem petenti, Crucifixum ostendit; ab eo panem peteret. Ivit simplici sinceritate parvulus, dixitque Domino: da mihi panem. Mater mea mittit me; ut panem à te petam. Et ecce Crucifixus revulso à cruce brachio panem recentem dedit parvulo: ille lætus ad matrem, res in vulgus. Scupent omnes panem candoris mirabilis. Itur in templum; reperiunt Crucifixi brachium etiamnum à cruce liberum. Episcopus & Matri, & parvulo, liberaliter annonam; & reditus in omnem vitam suffeduros assignavit. Lyraus de imit. Chr. l. 4. cap. 8.

§. VI.

Crucifixus est Philosophia nostra, liber, &c.

Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum; & hunc Crucifixum. 1. Cor. 2. 2. Indubitatum est, non his tam angustis cancellis circumscripta fuisse scientiam Pauli, ut solum Christum crucifixum nosset; qui tam sublimiter de omnibus vitæ, passionisque, aliisque ad salutis nostræ remedijs pertinentibus mysterijs, concionabatur; qui raptus in tertium celum &c. Quid ergo ait, non plura scire? voluit significare, quid sibi eveniret, & quid omnes agere debeamus. Christus crucifixus Pauli oculos ad se rapiebat; spiritum extollebat, excitabat devotionem. Huc ergo totum pondus meditationis ejus vertebatur; cum Christo Crucifixus dulces miscebat sermones, nunquam ab illo suam abducebat considerationem. Did. Niss. f. 2. D. Palm. §. 3.

Vidi -- librum scriptum intus, & foris. Apoc. 5. 1. Christus est Liber, quem Joannes in sua apocalypsi conspexit, scriptus intus, & foris. Foris Christi vulnera cernimus; sed intus immensitas ejus erga nos amoris incendia contemplamur. Hunc docti, & indocti videant; hunc omnes legant. S. Chryl. f. 1. de Resurr.

Hæc mea sublimior Philosophia: scire Jesum, & hunc Crucifixum. Non requiro, sicut sponsa, ubi cubet in meridie? quem lætus amplector mea inter ubera comitantem. Non requiro, ubi pascat in meridie? quem intueor Salvatore in cruce. Sancti Bernard. f. 43. in Cant.

Polyanth. Sacr. Tom. I.

In tantum infatuata est illa quondam gloriosa Mundana Philosophia, ut innumeri ex ejus Professoribus quotidie fiant ejus irrisores; & ex ejus defensoribus fiant ejus impugnatores: & illam detestantes nihil aliud profitentur se scire, nisi Jesum Christum, & hunc Crucifixum. Et ecce quàm multi, qui prius fabricabant arcam in officina Aristotelis, tandem saniori consilio discant studere in officina Salvatoris. Et qui prius fabricabant vasa contumeliæ, nunc docentur fabricare vasa gloriæ. Rich. à S. Vict. l. 2. de arca myst. cap. 2.

Cruz illa schola erat: ibi docuit Magister latronem: lignum pendens cathedra facta est docentis. S. Aug. f. 87. de divers.

S. Bonaventura S. Aquinati petenti: è quâ bibliotheca illum reconditum thesaurum hausisset, rogantique, ut illa sibi monstraretur, in aliud conclave induceto; attritum oculis Crucifixum ostendens, illam esse bibliothecam suam dixit. Nadasi anno Crucifixi.

S. Philippus Beniti in extremo morbo sapius ab astantibus identidem petebat librum suum. Libro quodam ei porrecto, unus ex astantibus assecutus petitionem; Crucifixi effigiem ei porrexit; quam reverenter accepit, & facie ad piam lætitiæ compositâ, exosculans, eum ad pectus suum adstrinxit. Paolett. f. 24. de eodem.

Christus in cruce suspensus Liber est; in quo omnium virtutum perfectiones, omnium contemplationum sublimitates; & quidquid ad salutem pertinet, mirabiliter, ineffabiliter, & supernaturaliter leguntur, discuntur, resplendent. Dion. Carth. c. 26.

Venerunt ad Religionem, literatus unus, alter Laicus. Literatus ob austeritatem de exitu tentatus Socio tentationem aperiens, ab eo ad constantiam solidis rationibus monitus est. Rogatus, ubi hæc didicisset? respondit: se librum habere, in quo omnia hæc didicisset. Qualis hic liber? imaginem ostendit Crucifixi: ecce, inquit, liber meus. Summa Prædic. Passiæ Christi.

O quàm præclarus Liber est Christus pendens in Cruce! Blof. p. 3. t. unico.

Hæc sit sapientia vestra, fratres, hoc studium; præ cunctis literarum studijs eligatis meditari die, ac nocte; Jesum Crucifixum pro omnibus nobis in Cruce immolatum. Thom. Kemp. p. 2. f. 4. ad Novit.

O Librum super omnem librum! hunc expedit nocturnâ versare manû, versare diurnâ. Hoc sit nostrum Enchiridion; verbum abbreviatum; contemptus mundi, Soliloquium, Stimuli divini Amoris. Salmeron tomo 10. tr. 37. de Crucifixio.

§. VII.

Circumstantiæ temporis, quò crucifixus.

Sicut Christus die 25. Martii in utero Virginis conceptus fuit; ita post 33. annos eodem die crucifixus est in equinoctio verno. Natus est
Ecc
verò